Timor domini docet nos declinare a malo, pietas docet bonum facere, sciencia inter bonum et malum discernere, fortitudo in bono consistere, consilium discrecionem in omnibus seruare. Intellectus vero et sapiencia mentem ad celestia sublevant. Cum secreta oratio et celestium meditacio ad contemplacionem pertineant, beata Elyzabeth a vita perfectiori primordia etatis sue inchoavit.

(margin: profecerit M.)

In qua vita quantum profecerit ad instar celestium animalium nunc ad contemplacionem ascendendo, nunc ad actiuam reuertendo, sequencia declarabunt. Ut enim taceam de rebus seriosis eciam cum luderet cum puellis pro anulis siue pro alio re consimili spem vincendi atque lucrandi in deo ponebat, promittens illi aliquot genuflexiones cum totidem Ave maria. Et cum votum suum sine verecundia persoluere non posset dicebat alicui puellarum: Procidamus in terram et consideremus que ex nobis longior sit. Et sic propter plures genuflexiones faciendas ad terram se prosternens pluribus se commensurauit, sicut ipsa postea confessa est, notam hypochrisis fugiens. In quolibet enim ludo siue anulorum siue denariorum

(margin: + sic M.)

(margin: + tali typo vota sua persoluere solebat)